



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

112. An Papa derogare possit iuripatr. cuicumque, & disponere pro libitu suo de beneficiis iurisp.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



aut aliter injustè persequendo ob eam causam, quòd rogati vel moniti, ut certam personam præsentent, nominent, &c. patroni parère noluerint. Laym. in cit. c. *sciatis*, eò quòd licet dictum cap. loquatur expressè tantùm de Electoribus; ob omnimodam tamen æqualitatem comprehendat etiam præsentatores, institutores, confirmatores, postulatōres. Laym. *ibid.* n. 3. citans Gloss. & Joannem Monachum in cit. c. *Suar. & Nav. ubi ante*. Porro comprehendì quoque non tantùm mandantes, sed & mandatarios exequentes hujusmodi gravamen; cum verè & realiter persequantur & vexent, etsi iusti ab alio, non secus ac ex mandato alterius percutiens Clericum unà cum mandante incurrit excommunicationem, docet idem Laym. *ibid.* num. 4. cum Gl. v. alios, contra Joannem Monach.

*Questio III. Quid possit patronus quoad constituendum procuratorem in Ordine ad præsentandum?*

**R**espondeo: de hoc actum §. *precedenti*.

### PARAGRAPHVS VIII.

#### De derogatione & amissione Juris patronatûs, &c.

*Questio III. An Papa derogare possit juris patronatûs cuiusque tam laico, quàm Ecclesiastico, & disponere pro libitu suo de beneficiis juris patronatûs, patronis etiam inuisis?*

**R**espondeo affirmativè. Less. *de just.* l. 2. c. 34. n. 35. Covar. *pract.* quest. c. 36. Castrop. *tr.* 13. de benef. d. 2. p. 10. num. 1. Lott. l. 2. q. 8 n. 5. citans Paris. *de resignat.* l. 3. q. 4. n. 32. Monet. in *tr. de commut. volt.* c. 10. q. 5. num. 158. cum communi DD. in c. *cum dilectus*, h. t. jus enim hoc est inductum jure canonico, cui derogare potest Papa, concessumque jus patronatûs à Pontificibus principaliter in bonum Ecclesiæ, ut ea habeat defensores, fundatores, dotatores; secundariò in honorem ipsorum fundatorum, &c. Unde dum Papa judicat Ecclesiæ expedire, ut non expectet patronorum præsentationem, vel alteri non præsentato conferat, potest liberè conferre; cum semper major debeat haberi ratio finis principalis, quam secundariæ. Less. *ibid.* Sed & ex eo, quòd hoc jus concesserit aliis, non censetur se ipsum in omni eventu voluisse spoliare suâ conferendi potestate, sed sufficit, ut regulariter præsentationes patronorum admitat, ita Less. Et, si supremus princeps secularis (dum non obstat Ecclesiæ, vel pia causa ratio) habeat potestatem dispensandi & derogandi supremis defunctorum voluntatibus ac legibus ex ea ratione, quòd facultas disponendi de bonis post mortem tanquam in tempore inhabili, quo mortuus jam annihilatus est, neque amplius illorum dominium habet, proveniat à gratia & benignitate legis positivæ, cui derogare potest, multò magis majorémque potestatem commutandi ultimas defunctorum voluntates, vel eis derogandi habet supremus princeps Ecclesiasticus, præsertim contra hæc jura spiritalia non competentia ex privatis dispositionibus, neque sub eis cadentia sine Ecclesiæ consensu, Card. de Luca, in *summ. ju-*

*rip.* n. 6. Nihilominus usque adeò constans est Papa in non præjudicando juripat. dum hoc competit de jure communi, scilicet ex fundatione, dotatione, &c. ut nequidem patiarur illud includi in reservatione majore, hoc est, inclusa seu expressa in corpore juris, Lott. num. 6. juxta Gl. Gemin. & alios passim in c. 2. de *concess. præbend.* in 6. Idque, ne homines retrahantur ab oblatione seu holocausto, hoc est, fundandis, dotandis Ecclesiis; quæ ratio cessat in jure patronatûs concessio ex privilegio, aut alio jure singulari. Lott. num. 10. & 11. sed & ob datam rationem non tantùm in suis constitutionibus Papa parit patronatibus; verùm etiam multò magis in beneficiorum provisionibus tanta est modestia sedis Apostolicæ, tantisque zelus conservandi patronatus laicorum, ut mirum sit quàm religiosè fundatorum voluntates hac in parte illibatas haberi velit. Lott. *cit.* q. 8. n. 93. Nam in quacunque resignatione, etiam permutationis gratiâ adjicitur clausula: *Accedente consensu patroni*: & si non fieret mentio de patronatu, gratia esset nulla, nisi ex tacito saltem consensu patroni convalesceret. Lott. *ibidem.* Paris. *de resign.* l. 2. q. 4. n. 4. Similiter in unionibus & suppressionibus hoc tenacissimè servatur, ut Lott. num. 94. citans Paris. num. 11. Roch. h. *tr.* v. *honorificum*, num. 8. &c. Item si erigatur Ecclesiæ patronata in Collegiatam, de quo dictum suprâ. Porro ut valida sit istiusmodi derogatio, nulla requiritur causa; ut verò licita, requiritur causa rationabilis, & justa, respiciens utilitatem Ecclesiæ; cum juri alterius quæsitò derogare sine causa non sit justum, causaque requiritur diversa, & major pro derogatione juris patronatûs laicalis, quàm Ecclesiastici; cum sit privilegium omninò gratuitum: illud verò onerosum & remuneratorium, & quasi ex contractu. Castrop. *loc. cit.*

*Questio III. Quid possint in hac parte Nuntii Apostolici & Episcopi?*

**R**espondeo primò: Legatum à latere, & consequenter Nuntium Apostolicum cum potestate legati de latere, posse derogare patronatûs Ecclesiastico, seu conferre beneficium certæ personæ irrequisito patrono Ecclesiastico, nullâ etiam factâ mentione aut derogatione dicti juris patronatûs. Tond. *qq. benef.* p. 2. c. 2. §. 6. n. 27. Gigas. *de pens.* q. 24. num. 1. Rebuff. in *pr.* 3. p. *signatura v. nec non*, n. 6. Garc. p. 5. c. 3. n. 17. citans Lamb. p. 1. l. 1. q. 1. a. 6. n. 4. Corraf. Gamb. Curtium, & plures alios. Nullatenus verò laicali, seu irrequisito patrono laico, vel etiam Clerico, cui jus patronatûs competit ratione patrimonii sui; quia tunc præsentat ut laicus. Pirh. num. 135. Less. *loc. cit.* num. 38. Barb. *juris Eccl.* l. 3. c. 12. Castrop. *de benef.* *tr.* 13. d. 2. p. 25. num. 11. Garc. p. 5. c. 3. n. 63.) ubi tamen num. 66. ait, posse Legatum conferre beneficia juris patronatûs laicorum; dum illa devoluta ad Episcopum ex negligentia patroni, de quo inferius) Lott. l. 2. q. 10. n. 72. juxta c. *dilectus*, de *offic. delegati*, cum communi DD. *ibid.*

2. Sed neque ligatus derogare potest juris patronatûs mixto, Pirh. *ad h. t.* num. 136. etiam dum plures sunt patroni Clerici, quàm laici. Pirh. num. 137. Potest tamen derogare juri patronatûs competenti etiam laico solum per præscriptionem, vel ex privilegio (intellige mero) Less. *loc. cit.* num. 42. Pirh. num. 136. citans Azor. l. 6. c. 28. q. 12. Castrop. Lott. *ll. cit.* Covar. *pract.* qq. c. 36. n. 6.